

cens: *Accipite Spiritum Sanctum*, exinde illi imbuti Spiritu, ut olim Prophetæ, per quem dictatum est iis, quid concionarentur, quid exigerent, quid statuerent. Et jam nihil iis deest, nisi donum linguarum, ut, quod dictatum est, omnibus in propriis suis idiomatibus enuntient.

VERS. 3. Δι ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὄπλανόμεθ' αὐτοῖς.

Sanhedr. fol. 43. 1. *Traditio. Vesperâ Paschatis suspenderunt Jesum. Et præco antecessit eum per quadraginta dies, dicens, Prodit ille lapidandus, quia prestigiis est usus, & decepit & ad apostasiam seduxit Israëlem. Quicumque potest aliquid pro ejus innocentia testari, prodeat & testetur. At non invenerunt quempiam qui testaretur.*

Ipsæ propriæ innocentie jam satis attestatur, o lingua præcidentia, quadraginta diebus versans inter homines post resurrectionem suam à morte, per quam detineri non potuit propter suam innocentiam.

Ibid. fol. 99. 1. *Traditio. R. Eliezer dicit, Dies Messie sunt quadraginta anni, sicut dicitur, Quadraginta annis כְּאַרְבָּעִים שָׁנִים offenseus ero huic generationi.*

Gloss. *Quoniam est שָׁנִים (tempore futuro) indicium est quod vaticinatur de futuro.*

Ingenuè facis, O Judæe, quod rebellem atq; infidelem istam generationem in diebus Messie, in parallelo sistis cum rebeli atq; infideli generatione in eremo. Erit enim utraq; fastidium atq; offensio Dei per quadraginta annos. Et sicut numerati sunt quadraginta isti anni in eremo, secundum quadraginta dies, in quibus facta est exploratio terræ, Num. 14, 34. Sic numerentur etiam quadraginta hi anni Messie, secundum quadraginta dies, quibus ille versatus est inter mortales post resurrectionem suam à morte. At cautè numera, ne impingas in ipso limine circa annum *Tiberii*, quo Christus surrexit, & ne titubes in fine circa annum *Vespasiani*, quo capta est *Hierosolyma*. Ἐάλω μὲν Ἱερουσόλυμα, inquit Josephus, ἔτει δευτέρω τῆς Οὐεσπασιανῆς ἡγεμονίας. *De excid. lib. 6. cap. 47.* Cùm reverà secundum Fastos Consulares esset anno ejus primo: At secundo quidem, ex quo declaratus est ille imperator ab exercitu. Iphis Calendis Julii salutatur ille